

No. 31. 1071. 11. Dec.

*K. Heinrich IV. schenkt der Stiftskirche zum Gedächtniss des Markgr. Eggebert, seines Verwandten, acht königl. Hufen zu Görlitz im Gau Milsca, deren Besitz ein gewisser Ozer verwirkt hat.*

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Heinricus divina favente clementia rex. Omnium divinae legis scripturarum attestazione didicimus, quia haec sola et specialis ad coelum scala est, sine qua numquam ad deum scanditur, dilectio dei et proximi, quae licet duplex sit, utputa in deum et proximum, in sola tamen proximi dilectione utraque exhibenda iubetur, quia in hoc ipso quod proximum diligimus, deum nos diligere monstramus. Qui enim testante Johanne fratrem, quem videt non diligit, deum quem non videt, quomodo potest diligere? Qua dilectione omnibus quidem connectimur, sed his, quos etiam per affectionem cognationis diligimus, artius eadem colligamur. Unde in secula seculorum notum esse volumus, qualiter nos pro remedio animae marchionis Eggeberti non modo secundum deum proximi, sed etiam carnis iure propinqui, submonentibus etiam Berhta et regni et tori socia ceterisque fidelibus nostris, videlicet Adalberto Hammamburgensi archiepiscopo, Buggone Halberstatensi, Werinhero Argentinensi, Hezelino Hildenesheimensi episcopis, sed et Bennonis Misnensis episcopi servitii non immemores VIII mansos regales in pago Milsca, sitos autem in villa Goreliz sub comitatu Eggeberti filii praedicti marchionis cum omnibus eorum appendiciis, hoc est utriusque sexus mancipiis, areis, aedificiis, terris cultis et incultis, viis et inviis, pratis, pascuis, silvis, forestibus, venationibus, aquis aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus ac cum omni utilitate, quae ullo modo inde provenire poterit, eidem praefatae ecclesiae Misnensi in proprium dedimus atque tradidimus. Eisdem autem mansos cum aliis quidam nomine Ozer in beneficium habuit, quibus culpis suis exigentibus non modo destitutus est, sed etiam capitis sententiae adiudicatus, quem de capitis tam promerita truncatione quam de beneficii non promerita possessione absolvimus. Possessos igitur mansos a nobis praefatae Misnensi ecclesiae dedimus, ea autem conditione, ut quicumque eorum possessor extiterit, omni aevo in anniversario praedicti marchionis defuncti pro animae eius commendatione a fratribus celebrata, plenum servitium eisdem fratribus subministret, quod etiam de vivo adhuc marchione Eggeberto, cum carnem terrae debitam deposuerit, statuentes eidem conditioni innectimus. Et ut haec nostra regalis traditio firma et inconvulsa in generationes generationum permaneat, hanc cartam inde conscribi et propria manu ut infra videtur, corroboratam sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum domni Heinrici quarti regis invic(L. M.)tissimi.

Adalbero cancellarius vice Sigefridi archicancellarii recognovi. (L. S.)

Data est III. Id. Decembr. anno dominicae incarnationis millesimo LXXI. indictione X. anno autem ordinationis domini Heinrici quarti regis XVII., regni vero XV. Actum est Goslariae feliciter amen.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen, mit ziemlich gut erhaltenem Siegel.

Facsimile von Neumann im N. Laus. Mag. 1853. Bd. 31. Taf. IV. — Kreysig Beitr. I. S. 4. — Seyffarth ossil. Benn. p. 15. — Köhler cod. dipl. Lus. I. S. 11.